

ceptum evangelicum et apostolicum, cum jejuniis et orationibus; quibus sociari debet elemosyna. Nam si essent signa sanitatum, quæ Deo largiente per merita sanctorum concessa viderentur, concursus ad eadem loca consequens esset; et si aliquid oblationum ibi daretur more ecclesiastico, et secundum dispositionem Patrum, esset utique fructuosum ipso usu misericordiæ. Nunc autem quia cupiditati quorundam et avaritiæ famulantur, non exinde honoratur Deus, nec pauperibus succurritur. Hanc enim rem si secundum voluntatem Dei agerent, juxta quod per omnes sanctas Scripturas eam Deus hominibus voluit indicari; scirent utique quam sublimiter et admirabiliter hujus rei semitam Dominus demonstrare dignatus sit per Michæam prophetam

BALUZII NOTÆ.

^a *Nec pauperibus succurritur.* Existimabat ergo Agobardus oblationes quæ fiunt ad memorias martyrum rem esse pauperum, neque inventas esse ad alendam præpositorum avaritiam, aut luxum, vel ad vitam commodius transeundam: itaque eas oblationes esse convertendas in solatium pauperum, alioqui enim pessimum esse earum usum. At hodie quotus quisque tandem est eorum qui ad aras sanctorum sedent, cui persuasum non sit nihil ex oblationibus decidere debere pauperibus, quique pro donariis illis

A dicentem: *Nunquid offeram Deo holocaustomata et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Et cum in his omnibus negetur, subinfertur illico in quibus Dominus placari possit, cum dicit: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te. Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sicut enim reprehensibile est rem pauperum non pauperibus distribuere; sic infructuosum, si ea quæ deberent Ecclesiæ debitam reverentiam exhibentibus, erogari, cupiditatis æstu anhelantibus, vel avare servanda vel abutenda prodige conferantur.

B conservandis non laborent tanquam pro aris et focus? Denique plurima loca sunt, inclita certe per indignas advenasque, quibus non alius certior aut luculentior fundus est, quam qui ex oblationibus provenit. Et laudo istorum pietatem. Sed valde optandum esset ut aliquam erga pauperes charitatem haberent ii quibus colligendarum oblationum cura committitur, nec eas tantum ad ornanda templa mortua converterent.

AD MATFREDUM PROCEREM PALATII, DEPLORATORIA DE INJUSTITIIS.

Virorum præstantissimo atque illustrissimo ^a Matfredo Agobardus in Christo Domino vivificatore ac salvatore nostro vitam et salutem æternam.

Obsecro præcellentissimam claritatem vestram ut patienter et clementer audire dignetur quæ fidelis suggerit servulus: quia, teste Deo qui scrutatur corda et renes, non alia intentione dico, nisi propter profectum prosperitatis vestræ præsentis pariter et futuræ. Omnipotens, sempiternus, et misericors Deus, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia volumina sæculorum quæ apud mortales et temporales voluntur, intemporaliter apud eum præsentia permanent, elegit vos ante mundi constitutionem futurum nostris periculosis temporibus

BALUZII NOTÆ.

^a *Matfredo.* Vel ex solo istius epistolæ titulo patet virum fuisse magnæ dignationis et auctoritatis in palatio Ludovici Pii. Nam et Ludovicus ipse eum vocat virum illustrem in præcepto pro monasterio Gratzæ in S. diocesi Urgellensi, cujus partem aliquam anno superiore edidimus in notis ad epistolam 29 Lupi Ferrariensis. Sic ergo ait imperator: « Matfredus comes vir illuster adiens serenitatem culminis nostri, etc. » Ac comitem quidem Aurelianensem fuisse constat ex Adrevaldo Floriacensi lib. 1, cap. 20 de Miraculis sancti Benedicti, et ex Vita Ludovici Pii ad an. 829. Illo itaque tempore Jonas episcopus Aurelianensis ad eum misit libros tres de Institutione Laicali, qui a domno Luca Dacherio editi sunt in tomo primo Spicilegii; cum antea editi fuissent Duaci anno 1645 ex veteri codice ms. sancti Amandi in Pabula, cura D. Ildephonsi Goetghebueri bibliothecarii ejusdem monasterii. Anno dein 830 (ut in capite trigesimo sexto narrat Theganus) cum Pippino Aquitania

C ^b *ministerum imperatoris et imperii,* et præ cæteris honorificavit et ditavit, non solum exterius, verum etiam interius, prudentia videlicet, justitia, fortitudine et temperantia, quibus secundum Scripturas nihil utilius est in vita hominis; constituitque vos in latere ^c rerum summam regentis; quatenus et in dispositione æquitatis illi essetis suffragator, et in remuneratione, beatitudinis particeps. Nunc igitur quid potissimum expedit devotissimæ intentioni vestræ, nisi ut omni conamine omnique mentis adnisi, ita in dispositionem rerum sagacissime vigiletis, ut opprimatur iniquitas, destruat fraudes et dolus, dissipetur pravitas, contemnatur crudelitas, erigatur justitia, consoletur humili-

D tanæ rege ac proceribus palatii conspiravit adversus Ludovicum Pium, quem de regno expellere volebant. Sed huic pessimo facinori obstitit Ludovici filius Ludovicus. Rursum in partes Lotharii cum cæteris perduellibus transgressus est anno 833, eumque fugientem in Italiam secutus, illic obiit anno 835, ut tradit auctor Vitæ Ludovici Pii. Vide Sirmundum in notis ad Theodulfum, pag. 301.

^b *Ministrum imp. et imperii,* id est, ministrum palatii et regni: ministrum palatii, quia non discedebat a latere Principis, principemque locum apud eum obtinebat, secretorum ejus particeps et consiliorum; ministrum imperii sive regni, quia præter comitatum Aurelianensem, cui speciali cura invigilare tenebatur, maxima pars curarum Ludovici in administrando imperio erat penes Matfredum.

^c *Rerum summam regentis,* id est, Ludovici Pii imperatoris, a cujus latere non discedebat Matfredus, uti jam diximus.

litas, roboretur fides, serenetur Ecclesia? Noverit namque prudentia vestra, in istis regionibus, quibus nos vicini sumus, in tantam securitatem venisse impietatem, ut pene nullus inveniatur qui justitiam diligat ab injustitiaque recedat, nisi cujus divina inspiratio mentem tangit et deducit voluntatem; ita ut gratuitum putetur, ubicunque bonitatis vestigia conspiciuntur. ^a Quievit timor regum et legum in multis; adeo ut plerique in presenti neminem timendum putent, reputantes apud semetipsos, et dicentes in cordibus suis: Si querela de me ad palatium venerit, causa ad ^b causidicos dirigetur. Illic inveniam ^c parentes vel amicos plures, per quos indubitanter fiet ut regalem offensionem nullam incurram, quia donum absconditum exstinguet iras, et is qui timendus est, aliis interpositis, non videbit insipientias nostras.

Talibus, vir eximie, occasionibus totum pene illud miserabili ævo nostro viguit, quod suo tempore Christianos quidem evasisse gloriabatur, apud paganos vero vehementius effervescebat martyr beatus Cyprianus lugubri nimis ac mœrenti voce deslebat ^d: « Inter leges, inquit, ipsas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus? Sed prævaricatur, et decipit. Judex? Sed sententiam vendit: qui sedet crimina vindicaturus, admittit; et ut reus innocens pereat, sit nocens judex. Nullus de legibus metus: de quæstore, de giudice pavor nullus: quod potest redimi, non timetur admitti. Consensere peccatis jura, et ^e cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse possit integritas; ubi qui damnant improbos desunt, soli tibi qui damnentur occurrunt? » Quodque sine periculo dicere nequeo, multi talium putant vos esse murum inter se et imperatorem, per quem defen-

BALUZZI NOTÆ.

^a *Quievit timor regum.* Sic Lupus Ferrariensis conqueritur in epistola 126 ad tantam libertatem vitia prorupisse ævo suo, ut vindicata impunitate apertis quibusque, nec Deus, nec rex, nec episcopus timeatur. Et videndæ sunt omnino notæ nostræ ad hanc epistolam.

^b *Causidicos*, id est, eos qui causas referunt ad principem; adeoque in eorum potestate est provincialium delicta publicare, aut silentio tegere.

^c *Parentes*, id est, consanguineos, vel affines. Et putabam istud esse ex infima Latinitate, parentumque vocabulo olim patrem tantum matremque fuisse comprehensos, ut dictum est in notis ad librum III Salviani ad Ecclesiam catholicam. Verum Sallustii auctoritas nunc facit ut aliter sentiam, apud quem Sulla Bocchum Mauritaniam regem sic alloquitur: « Dein, quod parentes abunde habemus: amicum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. »

^d In epistola ad Donatum. Sed locum ex ea epistola valde decurtavit, ut assolet, Agobardus.

^e *Cœpit licitum esse.* Eleganter Cyprianus in eadem epistola: « Madet orbis mutuo sanguine; et homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publice geritur. » Sic apud Pseudoplautum Querolus ait licitum esse quod commune est, id est, quod vulgo fit: « Lar. Quid de falso dicimus? Querolus. Item, quis autem verum dicit? Istud commune est, abi. Lar. Idcirco crimen non

dantur a correctione. Quin potius, præstantissime virorum, date operam ut sitis murus in augmento felicitatum, qui noxios expugnet, innocentes tueatur, Deo congruat, ab inimico discrepet, supernam remunerationem accumulet. Et licet satis ex verbis præcedentibus animi nostri clarescat intentio; ut tamen absque ulla dubitatione sciatis me non proprias querelas deplorare, cognoscat prudens benignitas vestra, hæc a me dici non posse adversum ^f comitem nostrum Bertmundum: quippe qui bene satis habeat ordinatum de justitiis comitatum suum; eo quod ^g talem virum pro se constituerit ad hæc peragenda, qui non solum propter amorem et timorem ^h senioris sui id strenue gerat, verum etiam, quod sublimius et laudabilius est, propter amorem Dei et amorem ipsius æquitatis et justitiæ, ita ut videatur nobis in his partibus nusquam fieri tam diligenter et attente. Sed prorsus hæc omnia dicimus propter fidem quam sub Deo, domino etiam imperatori debemus, et pro vestra beatitudine æterna, et præsentis vitæ felicitate adipiscenda. Quoniam, ut ipsi non ambigitis, tanta familiaritas, quam apud dominum imperatorem obtinere vos Deus fecit, pro magno vobis talento spiritali ab ipso omnipotenti Domino computabitur; et desideramus ut tam strenue illud impendatis, ut merito audire mereamini a Domino in iudicio ejus: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, et cætera*: avertatur autem a vobis illa dura et irrevocabilis improprio, quæ in negligentibus redundatura est, Domino dicente: *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congreco ubi non sparsi, et cætera.* Sed neque nominatim personas exprimere debeo, quibus emendatione multa opus est, ne accusator videar, quod ⁱ non est officii mei; sed cupio vos ita esse sollicitum, sicut studiosissi-

est? Quid de adulterio? Quer. Attat, etiam hoc crimen non est. Lar. Quando autem licitum esse cœpit? Quer. Men'rogas? quasi tu necias. Hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest. »

^f *Comitem nostrum Bertmundum*, Lugdunensis provinciæ præfectum, ut in libro primo vocat Nithardus.

^g *Talem virum*, id est, vicecomitem. Unde patet vicecomitum institutionem fuisse per eas tempestates in arbitrio comitum.

^h *Senioris sui*, id est, domini, comitis Lugdunensis.

ⁱ *Non est officii mei*, nimirum accusatio. Nam episcopi non debent esse accusatores. Arcadius et Honorius AA. ad Theodorum præfectum prætorio: « Provinciæ moderator sacerdotum et catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius, et divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum. Nec expectet ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. » Exstat hæc lex in codice Theodosiano l. 51, De Episcopis, ac relata deinde est in libro VI Capitularium, cap. 304. Theodoretus episcopus Cyrensis in epistola 42: « Angor sane ac doleo vehementer, quod scribere adversus hominem cogor, cujus delicta propter nomen sacerdotii occultare par erat. Scribo tamen, ut oppressos ab eo pauperes vindicem. »

mun Dei ministrum, et consentaneum boni imperatoris adiutorem, qui ab utroque Domino dignus et fidelis inventus, merito utriusque recompensationem percipiat.

EPISTOLA AD CLERICOS ET MONACHOS LUGDUNENSES,

DE MODO REGIMINIS ECCLESIASTICI.

I. Quia novi inter aliquos, quosdam rumores et suspiciones diversas, hæc subteradjecta scripsi, per quæ cognoscere dignemini quæ ego in actione ecclesiastici regiminis tenenda putem, cessetque paucorum murmuratio, cum omnibus mea fuerit intentio patefacta. ^a Unus est sponsus, qui habet sponsam; qui diligendus est propter se, non propter aliud aliquid, cum ipse sit pax, veritas, justitia, sanctificatio, et redemptio, et omne bonum, et sine illo nulum bonum; qui de cælo venit, et super omnes est; qui quos eripit de terra, levat ad cælum. Amici sponsi sunt, qui se videntes et audientes ædificant in amorem et cultum sponsi, filii vero sponsi, et qui ædificant, et qui ædificantur. Unus est agnus, qui habet sponsam, de qua dicitur Joanni apostolo: *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni*: et ostensa est illi civitas sancta Hierusalem descendens de cælo a Deo, habens claritatem Dei.

II. De hac sponsa et civitate cantatur in cælo *Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exsulemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se; et datum est illi, ut cooperiat se byssino*. De hac uxore et civitate dicit Joannes evangelista quod ipsa sit et tabernaculum Dei. Ait enim: *Et civitatem sanctam Hierusalem vidi novam descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus erit cum eis eorum Deus, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. De hac civitate et uxore virgine generat agnus Dei, agnus Deus, agnus omnipotens, agnus omnipotentis, agnos et oves quos ^b commendat beato Petro apostolo dicens: *Pasce agnos meos*. Et iterum: *Pasce oves meas*. Hic sponsus et agnus omnipotens dicit sponsæ et uxori suæ: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis*. Et iterum: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis*. Hæc uxor et filia est viri sui agni et principis, cui ipse dicit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis!*

III. Ipse princeps pater sponsæ suæ, et frater ejus est. Dicit enim ipsi uxori et sorori suæ: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Nec mirum si uxor soror est; quia et mammæ atque ubera ejus turris, et ipsa murus*. Sic enim de illa pater et sponsus loquitur: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est! Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*. Et illa respondit: *Ego murus, et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Quid mirum si murus et civitas, cum et vinea habens virum? *Vinea enim, inquit, fuit Pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos*. De qua ipse vir et pater statim subjungit, *Vinea mea coram me est. Ipsa vinea virginis quoque est et conjux, de qua in carmine nuptiali canitur ipsi regi et sponso: Stetit conjux in dextera tua, in diademate aureo*. Et ipse sponsus et pater ait eidem conjugi: *Audi filia et vide*. Et ipse cantor hujus carminis eidem dicit: *Et, o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi*. Hæc juxta Hebraicum. Antiquior autem translatio, ut eandem conjugem reginam et filiam regis ostenderet, sic ait ipsi regi: *Astitit regina a dextris tuis*. Et post pauca: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Hæc regina non solum vinea est, sed et hortus, et fons. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*. Dicitur et mulier, sicut scriptum est: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et post aliqua: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. In ejus persona quibusdam fidelibus et Paulus scribit: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Cui ipse Christus Dominus loquitur: *Totu pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Et illa de illo: *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum*.

IV. Ista sponsa regina, et uxor et ancilla est. Sed hoc non mirum. Mirum tamen et omni misericordia plenum, quod vir ejus et dominus, etiam domina est illi, sicut Psalmista decantat: *Sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*. Quæ etiam mulier dicitur habens dragmas decem, quæ, perdita una, accendit

BALUZZI NOTÆ.

^a Unus est sponsus, id est, Christus, verus et unus sanctæ Ecclesiæ sponsus. Vide supra in notis ad epistolam ad Nibridium.

^b Commendat beato Petro, id est, episcopis, ut explicant veteres. Vide notas ad ep. 84 Lupi Ferrariensis.